

**XXI. Dissertationem banc de Zoophytis,
Regiae Societati Scientiarum Angliae le-
gendarum et judicandam præbet Job Baster,
Med. Doctor. Acad. Cæs. Reg. Soc. Engl.
et Holland. Socius.**

Read April 2,
1761.

QUUM varia multumque inter se discordantia, quæ de coralliorum, lithophytorum, corallinarum, et id genus naturæ operum origine et propagatione, aliquot abhinc annis prodierunt, scripta perlegens, plerosque eorundem authores hæc animalculorum, quibus adhærere deprehenduntur, opus et fabricam existimare, animadverterem, aliis tamen dissentientibus, verasque esse plantas contendentibus; ipse quidem dubius corpora hæc examinare, propriisque perscrutari experimentis, decrevi.

Quo facto, tot perfectæ vegetationis signa, tamque solida reperi argumenta, ut eadem animalculis, adeo minutis, ut, nisi boni ope microscopii conspicí, nequeant, tamque simplicibus, ut paucissimis tantum gaudeant membris, ad opus ullum perficiendum plane ineptis, suam debere originem, existimare nequaquam potuerim.

Simul tamen, hæc animalcula, apicibus corallinarum non incidere tantum, sed ita cohærere quodammodo, experiebar, ut adhucdum dubius, nihil satis certi definire aut pronunciare auderem; donec vir magnus Linnæus, novo has tenebras lumine dispellens, substantias has zoophytorum nomine indigebat:

bat: id est, " Composita animalcula, in bivio animalium vegetabiliumque constituta, radicata pleraque caulescunt, multiplicata vita ramis, gemmis cæduis, metamorphosique florum animantium, sponte sepe moventium, in capsulas feminiferas transeuntium. Ac si plantæ essent zoophyta, sensu motuque destituta; et zoophyta veræ plantæ, sed systemate nerveo, sensus motusque organo, in structæ (a)."

Ulteriori examine hæc mihi digna videbatur sententia, quia mire res alias illustrabat, quæ antea obscuræ et incomprehensibiles mihi fuerant visæ. Novo itaque studio et attentione hæc naturæ opera iterum cæpi perscrutari; si forte de eorum origine et propagatione alterius quid certi comperire possem.

Haud ignorabam, qua ratione natura ab hominibus ad animalia procedat, quæ intellectu atque sensibus parum a nobis differunt: quaque eadem parvis ad talia animalia descendat gradibus, quæ vix ullam vitam aut motum habere videntur.

Naturæ etiam scrutatoribus difficillimum esse molestissimumque noveram, regnum animale in determinatas classes, genera et species distinguere: dum inter ea, quæ determinatis caracteribus discreta, et certo quasi orbi inclusa sunt, semper intermediæ quædam species reperiuntur, quæ utriusque proxime accedentis speciei quid possideant, et ita copulationem quasi duarum diversarum specierum constituant: colorum ad instar, qui ita commiscentur et quasi pereunt, ut nemo veros cujusque fines determinare possit.

(a) *Systema Naturæ. Edit. dec. p. 643.*

Subibat

Subibat etiam acutissimum philosophum Leibnitium ex lege continuitatis prævidisse jam et prædixisse, historiæ naturalis pervestigatione, olim corpora repertum iri, quæ æquo jure animalibus ac plantis accenseri possunt: quia corpora quæcunque creata non nisi unicam fistunt catenam, quorum quippe diversæ species, instar annulorum diversorum, tam arcte sociatæ et copulatæ sunt, ut ne sagacissimi quidam sensus, nec ipsa denique imaginatio, ubi unum incipiat, aut alterum definat, definire possint.

Planta est corpus organicum, expers sensus et motus spontanei (*b*), constans tamen vasis et humoribus, ope radicis (*c*) corpori cuidam adhærens, unde vitæ et incrementi materiam nanciscitur.

Animal est corpus organicum, quod sensu et perceptione præditum, sponte sua motus quosdam, sibi proprios, edere potest.

Hæ definitiones, quantumvis inter se diversæ, in zoophytis tamen convenient: radice corpori cuidam adnexa crescunt, et tamen simul sunt animalia, quæ tacta se sentire ostendunt, et escam sibi convenientem

(*b*) Motum, qui in tangendis herbae vivæ five mimosæ foliis, maturis balsaminæ cellulis feminalibus, coverzione heliotropii, anemonoidis, &c. ad solem, in floribus et foliis quibusdam sub vesperam se contrahentibus observatur, his objici posse non arbitror, quoniam is mere mechanicus, non spontaneus est.

(*c*) Dantur tamen plantæ, quarum radices nulli adhærent corpori, quæque iisdem plane carere videntur: prioris generis sunt hyacinthi, &c. quoties bulbis, inferiore parte sursum conversa, vitro aqua replete, inseruntur, non minus lète crescentes et florentes ac alii, quorum flos sursum enascitur: ad posterius genus pertinent plantæ, quæ semper aquæ innatare videntur.

conspi-

conflicentes, quorumdam membrorum motu, atripiunt et devorant.

Ambas has qualitates, tam diversas, manifesto in zoophytis expertus, quam primum pristinam meam de his corporibus sententiam, prout, experientia duce, veritati magis congruere videbam, mutare non dubitavi.

Duo zoophytorum, genera Linnæus statuit, durae five lapidea, ut tubipora, millepora, madrepora, quæ inter et corallium rubrum locum obtinet; et mollia, ut ifis, gorgonia, alcyonium, tubularia, eschara, corallina, fértilaria, pennatula, hydra, tænia, volvox (*d*) quorum octo priora, cum in mari inveniantur, in eorumdem ego naturam et originem, quatenus hic, in Zealandia, acquiri possint, aliquando inquirere, in animatum induxi.

Primo proprie sic dictas corallinas examinare disserit, omnes earum, quotquot mihi oblatæ sunt species, non zoophyta, quamvis Linnæus iisdem adnumeret, sed veras è confervarum genere plantas esse, luculentissime perspexi.

Numquam in earum apicibus polypi inveniuntur: semen contra cellulis inclusum (*e*), eodem, quo aliæ plantæ marinæ, modo produnt. Quod ipsum clarissime vidi, in

(*d*) Quod si definitum definitioni omnino respondere debet, ex laudata modo Linnæi definitione pennatula, hydra, tænia, volvox, vocari zoophyta nequeunt (vera sunt animalia), quia plane nihil in se habent radici simile, multo minus eadem ulli adhærent corpori.

(*e*) Vide Opuscula mea Subseciva, Tab. i. fig. 3.

Corallinā dichotomā, capillari, articulis cylindricis, brevissimis, dichotomiae, subclavatis. Linn.
Nº 7. Sive *Corallinā ramulis dichotomis, teneris capillaribus rubentibus.* Ellis. Tab. xxiv.
Nº 5. e. E.

Corallinā dichotomā, capillaris articulis omnibus clavatis. Linn. Nº 8. Sive *Corallinā dichotomā, capillis densis, cristatis spermophora.* Ellis. Tab. xxiv. Nº 6. f. F. In

Corallina capillari, inferne pinnata, articulis cylindricis. Linn. Nº 9. Sive *Corallinā alba spermophora, capillis tenuissimis.* Ellis. Tab. xxiv. Nº 7. g. G.

Atque de omnibus à Linnæo enarratis corallinarum speciebus, solidissimis adductus rationibus suspicor, licet omnes illas explorandi occasio nondum mihi contigerit.

Penicillus, sive Corallina culmo simplici, ramis fasciculatis, fastigiatis, dichotomis flexilibus inarticulatis. Linn. Nº 10. Sive *Corallina tubularia Melitenfis.* Ellis. p. 92. Tab. xxxiv.

a corallinis, sertulariis aut aliis zoophytis, plane est alienus: vermis enim est tubiphorus, ex scolopendrarum genere, ut clarissime ex earumdem descriptione patet (f).

(f) Vide Opuscula mea Subseciva, lib. ii. Tab. iii. fig. 1.

Verum aliter comparata est sertularia. Quod si attentione sufficiente expendas, quæ de coralliorum origine doctissimus Donati (*g*), et ipse de maximi generis polyporum in tubularia (*b*) olim dixi; a primo usque initio perfectam omnino adesse vegetationem, persuassimum tibi feceris. Liquet sane, ovula hæcce tenerorum instar geniculorum, novorum instar membrorum, matris ex corpore pullulare, postea majora fieri, muscularum more succrescere, et tandem ad maturitatem perducta decidere, et lapidem, concham aut corpus aliud durum offendentia, vel glutinosa, qua investita sunt, crusta, vel inæquali ipsius corporis superficie, donec fœtus excludantur, inhærescere.

Sola hujus ovuli testa, proprie, naturâ, si ita loqui liceat, *vegetabilis* est, perinde atque alia semina parvas aliquot radiculas ad latus ejicit; quibus affixa manet, et primum brevibus crescit articulis. Internum vero hujus ovi *animale* est, simul cum testa vegetabili, eadem ratione, eodemque tempore adolefecit; in muscularos dispergitur, è quibus temporis progressu, alii flores seu polypi prodeunt, qui suum rursus semen seu ovula, prout vocare libuerit, suo gignunt tempore.

Id argumento omni exceptione, ut mihi quidem videtur, majori, probatum comperi, in zoophyto quodam, quod

Sertularia abietina, seu *Sertularia denticulis suboppositis tubulatis, calycibus ovalibus, ramulis*

(*g*) *Histoire de la Mer Adriatique.*

(*b*) *Opuscula Subseciva*, lib. i. p. 30. Tab. iii. fig. 4.

alternis. Linn. N° 5. Et *Corallinā abietis forma*, Ellifio dicitur, Tab. i. b. B.

Et memoratam vegetationem, per quatuor fere, quibus servavi, menses, clarissime perspexi.

Sertulariam hanc nactus, vivo coalitam ostreo, perlucido imponebam vitro, aqua marina repleto, quæ bis, semel certe, quotidie commutabatur.

Quatuor circiter septimanis interjectis, apicem sertulariæ hujus haud parum extensem, et ex nova hac parte etiam polypos enasci, videbam.

F I G. I.

Quo minus per hoc tempus, sertularia nigricante conserverarum crustâ, materiâ lanuginosâ, sordibusque variis operiretur, et polypi bullacei tanta copia, in iisdem augerentur, ut reliqui inde suffocarentur polypi, impedire non potui: in recentibus tamen, variis in locis prodeuntibus, et adhuc puris ramusculis, vegetatio luculenter conspiciebatur.

F I G. III. C.

Prius minutus emergebat articulus, qui instar tubuli, ad quatuor, quinque, imo octo linearum longitudinem succrescebat; elapsis aliquot diebus ad latera hujus ramuli, minores quasi gemmulæ alternatim regulariter conspiciebantur, quæ quatuor aut sex dierum spatio, in perfectos adolescebant polypos.

Novo ramusculo lateralí emersuro, polypos medii hujus ramusculi cellulis suis latuissè, inclusique mansisse, mihi visi sunt (i). Cum vero teneri hujus ramusculi

(i) Röselius, qui in dulci aqua, majori, quam ego in marina commoditate, observare infecta potuit, novem in illa zoophytorum

musculi lateralis polypi adulti prodirent, omnes aliquando per totos dies, expansis bracchiolis, suas extra cellulas morari videbam, præcipue affusa, modo recenti, aqua marina.

Unde apparet, qua ratione zoophyti stirps, aliarum instar plantarum, crassitie et proceritate augeri possit. Perinde ac eodem, quo illæ, modo, in longitudinem excrescit et crassescit. Sola medulla intermedia animalis est.

Nonne obryzum et argentum purum, arborum instar et cum ramusculis per substantiam lapidosam fodinarum, excrescentia in iisdem, contigit? Quanto potius animal in planta, ramorum more, crescere potest? Hinc simul patet zoophyton omne proprio ex semine sive ovulo ortum, quamdiu vivit, semper crescere posse.

Omnibus historiæ naturalis studiosis, qui etiam hæc investigandi cupiditate ducuntur, ita experturos, affirmare ausim: mihi sane postea semper ita evenit: dum modo current, ut hæc zoophyta loco subfrigido et in conchis manentia serventur, et recenti aquâ quotidie perfundantur.

Qui vero tam procul à mari degunt, ut aqua marina difficilius potiri possint, cupiditati tamen suæ, polypis plumaceis (*polypes à panache*) in aqua dulci morantibus, observandis satisfacere licet: quod ego

torum genera, *afer polyporum* nomine, deprehendit. Hi polypi, quamvis fertulariis multo minores, eodem tamen, quo hæc, crescentes modo, omnibus etiam, quas ipse in iis deprehendi, qualitatibus gaudebant: modo crescendi per articulos, mansione in cellulis ante productionem novi rami, ne quidem exceptis.

Q 2

codem,

eodem, quo hac descriptâ fertulariâ, tempore examen institui (*k*).

Ambo enim hæc zoophyta, quoad animale, externâ facie simillima, primo obtuitu videntur eadem, sed quoad vegetabile spectat, multum inter se differunt, quod in mari multo majus, et ramis magis, quam in aqua dulci, expansis crescit.

Miror igitur maxime, viros laudatissimos Ellifium, Jussieum, Donatum, &c. fertulariam tam pertinaciter opus sive fabricam horum animalculorum vocare: cum ipse Trembleyus (*l*), qui primus et accuratissime hos polypos plumaceos descripsit, jam dixerit, *cellulas polyporum opus non esse, ut tinearum cellule eorumdem opus sunt, sed, in quibus hi polypi latent, cellulas, partem corporis eorum, simul cum illis adolescentem, habendas.*

Quod si jam hoc Trembleyi dictum, et quæ modo de fertularia dixi, vera agnoscas, mox tibi persuadebis, fertularias animalculorum, quæ paucis simplicissimisque membris, operari nihil, nihil efficere valent, sed mere passiva, instar floris, instar coryophilli, in tubo suo crescunt et proferuntur, opus neutiquam esse posse.

Neque dubitabis, quin fertularia non tot, quot ēi insunt polypi, capitum, *Animal*, ^{*ut habundant*} (*m*); quia singuli

(*k*) Vel qui fide dignis aliorum testimonii acquiescit, legat laudatum Röselii opus, cui titulus: *Insecten Betrufigung*, in supplemento sive tomo tertio, p. 595—617. Novem zoophyta sive fertulariæ in aqua dulci reperiundæ, describuntur.

(*l*) Memoires sur l'Histoire des Polypes.

(*m*) Hæc Donati est sententia, in epistola ad Trembleium. Phil. Trans. 1757. p. 57.

Fig. I.




Fig. II.





Fig. III.



polypi singula sint animalia, quæ sola natare (*n*), sibi solis escam querere, possunt; sed potius totidem florum, qui semine suo projecto maturi decidunt, planta sit habenda.

Liquet etiam tantum abesse, ut fertulariæ polyporum procreatio esset, ut hi tanquam flores spectati, fertulariarum potius sint productum.

Nec minus patet, crustam sive corticem, quo fertulariæ toties tectæ reperiuntur, quique ex continua aliis, ac fertularia gignit, polyporum generis, cellulosis constat, proprie ad fertularias non pertinere; sed alienum extrinsicus allatum corpus esse.

Operæ pretium ergo erit, accurate inquirere, an non cortex, qui in corallis et titano-keratophytis occurrit, eodem modo alienum ab his rebus corpus sit: et ideo an hæc corallia et keratophyta diversa plane origine et alimento, quam ab hoc cortice fruantur? Ut in primo opusculorum meorum subsecivorum fasciculo jam demonstrare conatus sum.

EXPLICATIO TABULÆ.

FIG. I. Repræsentat ramulum zoophyti, quod appellatur *corallina abietis forma*.

Circa hunc ramulum à mense Septembri 1758 ad Februarium 1759 servatum, interea circumcreverat asper è sordibus cortex: quinque mensibus ad minimum semel quotidie recens aqua marina, priori abjecta, adfusa fuit; et licet non multo in-

(*n*) Vide Opuscula mea Subseciva, I. p. 27. et plura similia apud Röselium, loco citato, p. 605.

creverit,

creverit, variis in locis laterales tamen emisit ramulos, omnes polypis obseffos.

FIG. II. Eundem ramum lente inspectum exhibet.
Litteræ ambarum figurarum rebus iisdem sunt ad scriptæ.

- A. Truncus fertulariæ, qui ostracodermati infedit.
- B. Aliquot ramuli laterales, dum corallinam servavi, hinc inde emissi, et ab initio polypis obseffii.
- C. Ramuli apex, qui recens omnino purus est, nec foribus aut polypis infectus.
- D. Major polyporum species, principium zoophyti, quod *corallina tubularia* appellatur, parum increscens.
- E. Minima polyporum, sive *fertulariæ polypinæ*, Linn. 10. species descripta, et auctâ magnitudine delineata in primo meo opusculo subsecivo, Tab. iii. fig. 1, A, B, C. Hujus species sexcenta erant, adeo ut continua contractione et motu fæpe conspectum obfuscarent.

FIG. III. Est apex C duarum priorum figurarum microscopio inspectus.

- A. Locus ubi à trunco divulsus.
- B. Duo ramuli laterales cum polypis ex illis, tamquam cellulæ, prodeuntibus. Et
- d. Brachia explicantibus.
- e. Cellulæ, in quibus polypi contractis brachiis se penitus abscondunt, tumque instar maculæ albæ apparent.